



tat. Nominat enim ibi Catechesis Christum *religionis auctorem, diuinum hominem, q) qui vera siue diuina miracula fecisset, r) et talia insuper praecepta et promissa sublimia, et hominis ingenium superantia, suis cultoribus dedisset, ut ob caelestem vitae sanctimoniam et bona hominis aeterna, quae in se comprehenderent, non, nisi Deum potuissent summum auctorem habere. s)* Atque, quod probe est notandum, Catechesis suis discipulis voluit ex eo fidem facere, Christianam religionem debere hominis religionem veram vocari.

## §. III.

Tanta certe inter haec innocentes de Iesu nostro aduersariorum cogitationes, et inter veram Christi diuinitatem conuenientia est, quanta maxima fere esse potest. Nulla earum per veram Christi naturam diuinam tollitur. Quamlibet nutrit atque maturat quasi magis magisque vera Christi diuinitas, siue enim in se illas consideres, siue ad finem suum atque scopum referas: tum demum tuto omnes et bene satis poterunt collocari, si firmamentum earum vera Christi natura diuina ponitur. Veram diuinam naturam habere, et verae religionis auctorem esse: quid potest reperiri, quod ipsum sibi magis congruat? Tantum abest, ut sibi illud ipsum repugnet, ut queat nemo prorsus verae religionis auctor esse, nisi aeternus atque verus Deus habeatur.

Fac

q) per Edit. cit. 3.

s) pag. 5.

r) pag. 4.